

# EPISTULA LEONINA

## CXXXV

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM TRICESIMAM QUINTAM (135) !**

## ARGUMENTA

1. NOVUS LIBER DE BELLO GALLICO SCRIPTUS:  
Markus Schauer, Der Gallische Krieg.....04
2. SUMMARIUM SCHAUERIANUM LATINE REDDITUM.....05-11
3. CAROLUS MAY: VINNETUUS (II).....12-20

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam tricesimam quintam.*

*Paginâ proximâ spectabis **Vercingetorigem** heroem tragicum Belli  
Gallici. De hōc bello deque commentariis Gaii Iulii Caesaris, qui ad idem  
spectant, **Markus Schauer** palaeophilologus Bambergensis nuper librum  
scripsit excellentissimum. Lege paginis 04-11, quae sint argumenta  
huius opusculi.*

*Praeterea helluare lectione alterius partis versionis Vinnetuanae ! In quâ  
agitur **de Samuele Falconino** (Sam Hawkens) veteratore Ferarum  
Occidentalium (Wilder Westen) omnino mirabili.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 135 tolle et lege et laetare  
et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Dominico, d.11. m.Iunio., a.2017**




## **ID BELLUM SE SUSCEPISSE NON SUARUM NECESSITATUM SED COMMUNIS LIBERTATIS CAUSA**

**cfr CAESAR, Commentarii de Bello Gallico, VII 89:** Postero die Vercingetorix concilio convocato **id bellum se suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis causâ** demonstrat, et quoniam sit fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte suâ Romanis satisfacere seu vivum tradere velint. Mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. Iubet arma tradi, principes produci. Ipse in munitione pro castris consedit: eo duces producuntur; Vercingetorix deditur, arma prociuntur. Reservatis Aeduis atque Arvernīs, si per eos civitates recipere posset, ex reliquis captivis toto exercitui capita singula praedae nomine distribuit.

**Statua Vercingetorigis** a.1865 confecta est ab *Aimé Millet*. Quae invenitur in locis Alesiae oppidi Gallorum antiqui, quae sita sunt prope *Alise-Sainte-Reine* in Burgundiâ (*Bourgogne*) Francogallicâ.

## NOVUS LIBER DE BELLO GALLICO SCRIPTUS

**Markus Schauer: Der Gallische Krieg.** Geschichte und Täuschung in Caesars Meisterwerk. Verlag C.H. Beck. München 2016. 271 pp. mit 4 Abbildungen und einer Karte. In Leinen.



Hunc librum splendidê scripsit *Markus Schauer*, qui cathedram tenet philologiae classicae Bambergensis. Īdem philologus doctê atque disertê explicat, quam ingeniosê Caesar ante expeditionem in Galliam factam nullam gloriam militarem adeptus in commentariis suis sub praetextu ieiunae relationis historicae artificiosissimê compositis quadamtenus se ipsum in scaenam producat novam imaginem sui ipsius imperatoris perfecti effingens. Leo Latinus autem hunc lepidum librum Schauerianum ornatê impressum atque compactum, quem totum perlêgit magnâ cum animi attentione\*, omnibus hominibus Romanae historiae atque litteraturae amantibus plurimum commendat. Legite, quaeso, summarium huius opusculi laudabilis a Marco Schauer theodiscê scriptum, a Leone Latino Latinê redditum.

---

\* Leo pauca tantum invênit paragrammata: 1). p. 46, inc.2, lin.6: Pompeius (non: Pompilus). - 2). p. 181, verba Suetonii, lin.4: drückte <er> ein Auge zu (non: drückte ein Auge zu). - 3). p.206: summo ...ortus lco (non: sommo...). - 4). p.215, lin.6: aufgezwungen wurde (non: aufzwungen). - 5). p.221 verba citata, lin.7: begonnen<en> Belagerungsarbeiten (non: begonnen Belagerungsarbeiten). - 6). p.224, inc.2, lin.1: Zivi<l>bevölkerung (non: Zivibevölkerung). -

## SUMMARIUM LIBRI

### Quomodo Caesar imaginem sui ipsius novam effinxerit<sup>1</sup>

**F**inivimus considerationes nostras partem viae permensi, quae est in limite historiae et litteraturae conscribendae. Iter facientes non potuimus, quin animadverteremus haud semper facile fieri, ut decerneremus, utrum aliquo loco ageretur de ipso Bello Gallico an de libris Caesaris, qui ad idem bellum spectant. Apparet enim a Caesare effectum esse utrumque: et res gestas et litteraturam.

Idem vir ipse, eo quod nobis obvius factus est et persona historiae et fabulae, haud raro effecit, ut frustra muginantes, ultra harum personarum reverâ nobis esset obvia, incideremus in quaestionem insolubilem. At id ipsum Caesar voluit: personam suam tam perfectê in scaenam produxit, ut lector non iam animadverteret, ubi auctor se in scaenam producere inciperet et ubi desineret. Fortasse Caesaris ars sui ipsius exponendi in eo posita est, ut non solum se ipsum in scaenam producat, sed ut ipsâ hac productione imaginem sui ipsius effingat novam. At Caesar quamnam imaginem sui ipsius novam effingat?

Antequam Caesar in Galliam profectus est, imperator Romae illustrissimus non fuerat ipse, sed Pompeius. Haec condicio Bello Gallico funditus mutata est – ad quod haud pauca contulit hoc bellum a Caesare descriptum. Nam Caesar in libris suis non apparet vir politicus, sed imperator bellicus, et talem tam persuasibiliter in scaenam se produxit, immo imaginem sui ipsius novam tam efficacem effinxit, ut usque hodie praeter Alexandrum Magnum et Napoleonem habeatur pro uno ex historiae mundanae imperatoribus excellentissimis. Imaginem sui ipsius ut viri politici, qualis Romae sat superque notus erat, non erat necesse ut Caesar novam effingeret, nec potuisset – quia erat a scaenâ Romae politicâ remotus - talem effingere. Ceterum eidem viro nequaquam cordi erat novam imaginem sui efficere politicam (qualem eum ut virum *nobilem* nullo modo decebat), sed petere honorem gloriamque, quas Romani parere solebant meritis militaribus. Praeterea Caesar non ignoravit his decenniis nullum virum politicum in numerum referri hominum verê magnorum, nisi clientes haberet viros veteranos. Caesar scivit se, nisi milites veteranos haberet asseclas, neque numerosis adversariis

<sup>1</sup> **imaginem effingere**: cfr QUINT.VI 1,28 imaginem dicendo effingere.

domesticis resistere posse – senatores vetustati propitii eum odisse non desierant – neque se posse conferre Pompeio. Quod postremum erat inevitabile, quia foedere triumvirorum iam pridem diffracto Pompeius factus erat vir senatûs. Ergo Caesar potestatem suam eo quam optimê firmavit, quod se praebuit imperatorem ingeniosum, quem, si necesse esset, milites sequerentur deditissimi – quod factum est postea, cum Caesar impetum faceret in senatum. Secundo loco Caesar bellum gallicum describens certê etiam studebat efficere, ut lectores crederent se provincias sibi attributas, se Galliam expugnatam procurasse diligenter atque circumspectê – sed hoc est minoris momenti.

Ergo Caesar *Commentariis* usus est, ut lectori admirationem moveret rerum a se gestarum, praesertim militarium. Hunc virum septem annis transactis ingentem expeditionem in Galliam factam optimo cum successu perfecisse, Vercingetorigem magnum suum adversarium a se superatum esse totamque (qualem appellat) Galliam expugnatam – hoc ipse enuntiat. At Caesar hanc summam rationum victoriosam non solum effecit rebus gestis splendidis, sed etiam, ut vidimus, arte suâ narrandi, quâ demum ipsum se effinxit imperatorem omnium excellentissimum. Imperator autem bonus quibus virtutibus praeditus esset, dictum est a Cicerone. Is anno 66 a.Chr.n. in oratione, qua postulavit, ut Cn. Pompeio mandaretur imperium extraordinarium, conclusit illum praeditum esse omnibus virtutibus imperatoris gravissimis inter se coniunctis (Oratio Ciceronis de imperio Cn. Pompei 28-29; 49): *consilio, celeritate, fortitudine, auctoritate, fortuna*. Hae virtutes sunt eadem, quas ipse Caesar petit Pompeio aemulans.

Primo de *consilio*: Multis e locis Belli Gallici apparet, quam circumspectê Caesar omnem rem suscepit agendam. Etiam si qua occasio aut aliquod periculum incidit quam maximê improvise, tamen Caesar semper statim omnia providet et cavet necessaria: etiam res minores agit accuratê: itaque exponit – interdum tam fusê, ut lector fatigetur – quomodo praestiterit comheatum frumenti, quando et ubi castra curaverit collocanda movendaque. Sed hae quoque res logisticae maximê spectant ad artem bellicam, haud aliter ac multitudo ac varietas illa ferê innumerabilis operum aedificandi et oppugnandi, quae Caesar excogitat construendaque curat – ex his omnibus clarê patet, quam scitê atque consideratê agat imperator.

Deinde *celeritas*: Haud minus quam consilium valet agere *celeriter* – Caesari unum ab altero non videtur discrepare. Ipsam celeritatem saepe causam affert victoriae partae: iterum iterumque verbis effert hostes, cum non suspicati essent se tam celeriter adventurum, perturbatos esse, immo statim aufugisse.

Tum *auctoritas*: Longum est hanc rem fusius tractare. Ex orationibus libri I et VII. (p.188sq et 221sq) ad milites habitis apparuit Caesarem severê punire milites parum modestos (*i.e.inoboedientes*), sed valdê liberaliter pati peccata cetera ferê omnia, et eo quod milites sunt animis inflammatis (quo affectu dicuntur numquam privari) insignissimê demonstratur, quam feliciter imperatori succedat modus imperandi.

Porro autem *fortitudo*: Caesari haec virtus praecipuê videtur esse militibus propria, eam tam amici quam hostes possunt praestare. Licet Caesar quoque se fortem praestat, cum momento temporis periculoso, velut in proelio Nerviorum aut in proelio Alesiae decretorio, ipse se interponit pugnantibus, sed exempla fortitudinis gravissima imperator invenit milites suos, velut illum aquiliferum in litore britannico versantem et Vorenium centurionem et multos alios.

Denique *fortuna*. Nulla morum atque intellectûs praestantia sufficit, nisi accedit aliquid aliud, quod ratione quidem non comprehenditur, sed tamen reverâ exstat – fortuna belli secunda. Caesar permagni facit Fortunam suam, illam felicitatem sibi propriam, ex quâ apparet Fortunam sibi favere. Haec fuit Caesaris proprietates, cui milites confisi obsequebantur; eadem autem in toto *Bello Gallico* nemini attribuitur nisi Caesari. Ergo in summâ dicendum est Caesarem personam sui ipsius gerentem id curare, ut praeditus sit omnibus virtutibus imperatoris singulis, quas Cicero dixerat optimê inter se coniunctas esse in Pompeio, qui Caesari fuit exemplum, socius, competitor.

Ergo imperatoris plura sunt quam proelia committere et plura quam apparent ex virtutibus imperatoris enumeratis. Itaque primo tantum conspectu mirum esse videtur, in *Bello Gallico* quantum spatii capiatur proeliorum descriptionibus propriis. Caesar enim diligenter curat foedera iungenda necnon res post victoriam venturas. Idem se praebet patronum et legatum, qui ubique debet se interponere rebus Gallorum politicis incertis, necnon ostentat numerosa beneficia, quae Gallis sociis politicisque suis alumnis sinat impertire. At imperator illas gentes, quae post deditionem sui - aut gentium finitimarum – sibi

insurgunt, coniurationis accusans sine ullâ veniâ impugnat. Caesar agit et argumentatur, quasi ipse iam sit procurator Galliae provinciae novae seque ostentat virum tantâ auctoritate praeditum, ut totam Galliam in ordinem redigat. Etiam in hac re manifestum est, quid Caesar nuntiet senatoribus Romae versantibus: Eo quod in Galliâ novam clientelam est collecturus, sibi comparat pecuniam, adiumenta, auxilia ideoque potestas eius Romae futura vehementer augetur. Caesar, ut ita dicamus, modo imaginem effingit sui ipsius personam gerentis, quae Romae aut omnino nondum aut minus nôta fuit: personam magni imperatoris, qui – similiter ac Pompeius – nititur exercitibus provinciisque. Imago, quam sui ipsius depingit, nescimus an senatores Romae receperint animorum affectu vehementer vario - modo res a Caesare gestae comprobaverint, modo timuerint potestatem illius immodicê exauctam, quomodocumque solliciti cognoverunt fore, ut Caesar magnis meritis suis nixus multa postularet: alterum consulatum et novos honores – et fortasse etiam imperium singulare.

Itaque imperator, quem Caesar in *Bello Gallico* se praebet, semper est ambitiosus vir nobilis. Qui non sôlum est summus imperator, sed etiam, quod sibi licere vir nobilis pro certo habet, semper etiam personam gerit civitatis Romanae. Si Caesar loquitur, non solum loquitur pro se, sed etiam pro Roma. Is, qui Caesaris est inimicus, inimicus quoque est Romae, qui amicus sui, amicus quoque Romae. Quatenus unquam rationem reddit factorum sui, provocat ad *morem* aut *consuetudinem* maiorum, quae scilicet spectat ad viros nobiles. Caesar potestatis suae abundantis plenê conscius est, quam putat esse legibus positam. Quâ est conscientîâ viri nobilis, nullo modo studet facta sua defendere. Iniurias suo arbitrio factas, velut bellum Helvetiis illatum, silentio praetermittit aut eorundem causâ se ipsum laudat sine ullo scrupulo ullâque animi commotione, velut gloriatur de legatis Usipetum atque Tenctorumque contra ius gentium in vincula coniectis. Caesar agit animo firmo certoque, sine scrupulo. Qui non sentit se iniuriâ afficere gentes liberas, quas subicit, quamquam compluries studium libertatis comprobat esse hominibus generaliter proprium idque semel redigit in formam sententio lae:

[3] Itaque cum intellexeret omnes ferê Gallos novis rebus studere et ad bellum mobiler celeriterque excitari, omnes autem homines naturâ libertati studere et



condicionem servitutis odisse, prius quam plures civitates conspirarent, partiendum sibi ac latius distribuendum exercitum putavit...(3,10,3).

Caesar qualis est, ita de naturâ hominum cogitat et scribit, tamen sentit ne minimam quidem esse necessitatem, quâ ipse agere debeat secundum illam naturam. Caesari non videtur necessarium esse, ut notioni libertatis opponat aliud bonum (velut opulentiam, securitatem aut similia) aut quâvis aliâ ideâ rationem reddat Galliae expugnandae moralem. Auctor nullam affert mensuram rerum nisi commodum Romae suique ipsius. Caesar facinora sua, si forte, explicat, sed numquam illorum reddit rationem, immo numquam in utramque partem disputat ratione morali. Si necessitas militaris hoc postulat, îdem totam gentem occîdit, nec tale scelus ullis verbis studet fucare.

Si Caesaris rationem scribendi comparamus cum Hirtio, qui scripsit librum Belli Gallici octavum, evidenter cognoscimus, quantum eius ratio scribendi differat a Caesaris. A.51 a.Chr.n. quamvis prope Alesiam parta esset victoria, Galli iterum iterumque Romanis insurgabant, Caesar, cum propter res Romae agendas diutius in Galliâ remanere non possit, Uxelloduno expugnato ut Gallos a seditionibus deterreret, iisdem exemplum praebuit more Draconis: eo quod omnibus incolis militiae habilibus manûs curavit praecidendas. Si Caesar librum octavum ipse scripsisset, verisimile est eum hoc facinus non tacitê praetermissurum fuisse, sed facinore commemorato fortasse breviter affirmaturum id evitari non potuisse. E contrario Hirtius sentit sibi explicandam esse poenam a Caesare Gallis impositam:

Caesar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret neque vereretur ne quid crudelitate naturae videretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animadverteret, si tali ratione diversis in locis plures consilia inissent, exemplo supplici deterrendos reliquos existimavit. [2] Itaque omnibus qui arma tulerant manus praecidit vitamque concessit, quo testatior esset poena improborum (8,44,1sq.)

At ipse Caesar *nobilis* in septem libris ceteris numquam descendit ad similem excusationem (ut ita dicamus). Ceterum quod Hirtius lenitatem (clementiamve) Caesaris bene nôtam loco affert argumenti, de hac minus accepit bello gallico quam bello civili postea facto, in quo Caesar curavit enuntianda verba haec quae sequuntur: »haec nova sit ratio vincendi ut misericordia et liberalitate nos muniamus« (quae tradita sunt apud Ciceronem, in Epistulâ ad Atticum 9,7 C). In

concives suos hominesque eiusdem ordinis Caesar aliter se gerebat ac in Gallos: putabat enim clementiam sibi esse utiliorem quam nudam violentiam<sup>1</sup>. Necnon adversarii Caesaris eo stupefacti sunt, quod ille hanc virtutem non solum praedicabat, sed etiam ita ad effectum adducebat, ut *clementia Caesaris* fieret vox detrita, quae ultra illius finem frequentabatur. Verisimile eadem vox Hirtio in mentem incidit studentem efficere, ne illa crudelitas Uxellodunensis discreparet a voce clementiae Caesarianae.

Lauream militarem a Caesare non solum gladio, sed etiam stilo partam esse hunc in libro demonstravimus. Eo quod in commentariis suis se ipsum imperatorem victoriosum celebrans quodammodo in scaenam produxit, multo vehementius postulavit, ut sibi honores attribuerentur in re publicâ. Caesar ut merita sua comprobarentur et digna haberentur, si necesse erat, postulare poterat auxilio militum sibi fideliter deditorum. Is, qui nunc ex Galliâ revertit victoriosus non iam idem fuit ac ille, qui a.59 a.Chr.n. gesserat consulatum: Post consulatum suum turbulentum atque litigiosum Caesar id sibi proposuerat, ut Galliâ totâ (ut ait) expugnandâ restitueret famam suam – id est virorum nobilium verbo: dignitatem. Idem vir cum aliis rebus tum commentariis suis studuit efficere, ut cives Romani de Bello Gallico certiores facti sibi faverent Româ in urbe adversariis aemulanti.

Hoc quidem consilium erat captum – num contigit Caesari, ut idem ad effectum adduceret? Num *Commentarii* tanti valuerunt ad rem publicam, quanti eorum auctor valituros esse speraverat? Certè iisdem effectum est, ut Bellum Gallicum fieret bellum magnum historiae mundanae et Caesar ipse imperator singularis atque genuinus. Sed ad negotia rei publicae Romanae cottidiana non habuerunt vim satis magnam. Nam Caesari adversus eius merita, de quibus in Commentariis suis legi potuit, alter consulatus est denegatus. Nunc periculum fuit, auctoritas huius viri nobilis ne quid detrimenti caperet irreparabile, quo fieret, ut Caesaris cursus honorum finiretur. At idem vir non solum fuit narrator splendidus, sed profecto etiam imperator ingeniosus, cui erat exercitus fidelissimè deditus. Itaque, quâ erat

---

<sup>1</sup> **nuda violentia**, orig. *nackte Gewalt*. cfr Acta Pacificationis quae coram Sac. Caesareae Maiest. Commissariis, inter Seren. Regis Hispaniarum et Principis Matthiae Archiducis Austriae ...habita sunt: Lugduni M.D.LXXX., p.140: "Praeterea nunquam est cum fidei tum haereseos maior fortitudo, quam ubi citra verbum Dei agitur adversus illas *nuda violentia*".

peritiâ imperatoriâ, Caesar denuo fortunae suae confisus, ut honorem suum servaret, Rubiconem transgressus est his verbis dictis:  
»ἀνερρίφθω κύβος«<sup>1</sup>.

## **SUMMARIUM**

### **LIBRI A MARCO SCHAUER CONSCRIPTI**

#### **IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**

**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

---

<sup>1</sup> PLUTARCHUS, Vita Pompeii, cap.60 Ἑλληνιστὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἐκβοήσας „ἀνερρίφθω κύβος“ διεβίβαζε τὸν στρατόν.

## VINNETUUS (II)<sup>1</sup>

WINNETOU BAND I. REISEERZÄHLUNG VON KARL MAY. KARL MAYs WERKE - HISTORISCH-KRITISCHE AUSGABE FÜR DIE KARL-MAY-GEDÄCHTNIS-STIFTUNG. Herausgegeben von Hermann Wiedenroth und Hans Wollschläger. Abteilung IV Reiseerzählungen Band 12. 1989 Haffmans Verlag AG Zürich (Buchfassung letzter Hand Freiburg 1908). In Latinum convertit NICOLAUS GROSS LEO LATINUS.

### CAPITULUM ALTERUM

#### Samuel Falconinus.

Miratus sum, quod eodem tempore familia, cui operabar, aliter se gessit in me ac antea. Apparuit parentes attentius, parvulos blandius me tractare. Deprehendi eos vultûs exprimentes, quos non intellexi, sed sensi eos esse plenos amoris aut misericordiae.

Tribus ferê septimanis post quam grapheum illud mirum in modum visimus, materfamilias me rogavit, vespere ne exirem, sed cenam sumerem unâ cum familiâ. Causam huius invitationis attulit, quod venturus esset Dominus Henricus praeterque eum invitatos esse duos dominos, quorum alter esset Samuel Falconinus, veterator occidentalium illustris. Ego, qui essem neoceros, hoc nomen nondum audiveram, sed gavisus sum fore, ut noscerem primum verum, etiam illustrem occidentalium.

Quia eram domesticus, mihi non erat exspectandum usque ad horam exactam, sed iam nonnullis minutis ante me contuli in cenationem. Quam miratus sum eandem non solito modo esse instructam, sed exornatam ad festum celebrandum. Aemilia parvula quinque annorum sôla in cubiculo versans savillo bacarum digitum indiderat ligurritura. Cum intrassem, digitum cito retraxit detersitque comulâ suâ flavissimâ. Cum egomet digitum sustulissem obiurgatorium, illa prosiliens mihi nonnulla verba insusurravit. Ut peccatum compensaret, me certiolem fecit de secreto horum dierum, quo corculum suum paene esset compressum. Putavi me falso intellexisse; ea autem rogata repetivit eadem verba: »Cena tua viatica«.

Cena mea viatica! Hoc fieri non potuit! Certê parvula aliquo errore in hanc opinionem venerat. Ideo subrisi. Tum vocibus e conclavi mediano auditis transii salutatum. Omnes tres eodem tempore venerant, ex convento, sicut postea accepi. Henricus primum apud me

---

<sup>1</sup> cfr Pars prima: EL 134, p. 9 – 28.

sub nomine *Domini Melaeni* introduxit iuvenem quendam, qui paulum hebes atque inhabilis esse videbatur, tum autem *Samuelem Falconinum*, occidentarium.



En veteratorem! Apertê confiteor vultum meum, cum oculos in eo mirans defixissem, non ita subtilem visum esse. Talem quidem figuram nondum videram: postea autem alias huiusmodi. Vir, cum ipse iam esset sat notabilis<sup>1</sup>, quod ibi in mediano eleganti talis stetit, qualis etiam stetisset foris in vastâ solitudine, petaso et sclopeto non depositis. Animo fingatur species, quae sequitur:

Sub margine flebiliter dependente petasi coactilis, in cuius aetate, colore, formâ cognoscendis aestuavisset<sup>2</sup> etiam homo summo acumine mentis praeditus, intra silvam nigrorum capillorum turbatorum eminuit nasus praeditus tantâ magnitudine horribili, ut utilis esset ad quodvis solarium horologium adumbrandum. Barbâ ingenti effectum est, ut praeter olfactorium organum admodum luxuriosum ceterae

<sup>1</sup> notabilis: cfr PLIN.nat.36,12 notabilis foeditas vultus.

<sup>2</sup> in aliqua re aestuare: cfr CIC.Att.7,13 a (ed. Bailey, Cambridge 1968, p.16: 137 (VII.13a): "1. Iam intellexi tuum aenigma; Oppios enim de Velia Succones dices. **In eo aestuavi diu.** Quo aperto reliqua patebant et cum Terentiae summa congruebant.

partes faciei non apparerent nisi duo ocelli prudentes, qui perquam agiles in me defixi erant quadam cum vafritiâ iocosâ. Vir me tam attentê aspectavit quam ego eum: postea accepi causam, qua voluisset me cognoscere.

Pars huius hominis superior superposita erat inferiori, quae usque ad genua invisibilis induta erat vetustâ tunicâ venatoriâ e corio hircino confectâ. Quâ veste, cum manifesto confecta esset ad hominem multo maiorem vestiendum, homullus aspectum praebuit pueri, qui gaudii causâ se obvolvitur avi sui vestimento dormitorio. Ex hâc velamento abundanti eminebant duo gracilia crura falcata, quae indita erant braci detritis. Cum hae braciae essent tam annosae, ut dubium non esset, quin e duobus decenniis non iam congruerent cum staturâ homulli, latê patebat par caligarum Indianarum, quibus capiebatur ferê totum corpus possessoris.

Manu autem tenebat hic illustris occidentarius sclopetum, quod ego non tetigissem nisi cautissimê: multo enim similis erat fusti quam sclopeto. Illo momento temporis non potui excogitare meliorem gryllum<sup>1</sup> venatoris pratariarum. Sed paulo post prorsus intellexi, quantum valeret hic homullus mirâ indole praeditus.

Me subtiliter aspectato fabrum sclopetarium interrogavit voce stridulâ, quae similis erat puerili:

»Estne hic iuvenis neoceros, de quo mihi narrasti, Domine Henrice?«

»Est« ille dixit annuens.


»Bene. Haud male placet. Spero fore, ut ei etiam placeat Samuel Falconinus, hihihhi!«

Quo cum risu subtili verê proprio, quem postea sescenties ex eo audivi, versus est ad ianuam tum apertam. Pater et materfamilias intraverunt salutaveruntque venatorem ita, ut eum iam vidisse viderentur. Quod factum erat clam me. Tum nos invitaverunt, ut intraremus in cenationem.

Huic hortatui parvimus. Stupui autem, quod Samuel Falconinus neque petasum deposuit neque sclopetum. Sedibus ad mensam destinatis demum hic, digito demonstrans flebilem suum fustem sclopetarium: »Verus« inquit, »veterator occidentarius cum numquam negligat sclopetum suum, tum praecipuê ego non negligo bonam meam Lydiolam. Quam suspendam ibi ex unco cortinarum«.

---

<sup>1</sup> gryllus, -i m.: orig. *Karikatur*. cfr PLIN.nat.35,114.



**ECCE SAMUEL FALCONINUS**  
 UNA CUM STONEO ATQUE PARKERO INTRATURUS

Ergo Lydiolam vocavit sclopetum suum! Postea quidem accepi multos occidentarios sclopetum suum tamquam animantia tractantes nomine aliquo appellare. Falconinus sclopeto suspeso petasum addere voluit; huic autem deposito adhaesit tota eius capillatura, ut horrore corriperer. Degluptum enim caput sanguineum erat perquam horribile aspectu. Materfamilias magnum sustulit clamorem, clamaverunt parvuli, quantum poterant. Ille autem ad nos versus tranquillê.



Serie 43. Karl May: „Sams Greenhornstreich“ Bild 2.

»Nolite terreri, Dominae Dominique; nihil est! Gestaveram capillos meos propios iustê atque sincerê a primis pueris neque ullus advocatus ausus erat eosdem in controversiam vocare, usque dum aliqui duodecim Ponii Indiani mihi oppresso evulserunt capillos cutemque capitis. Itaque mihi effectus est sensus execrabilis, quo turbatus tamen feliciter perfunctus sum, hihihhi! Tum iter feci Tecamam novum pericranium empturus, ni fallor; quod dicebatur capillamentum et mihi constitit tribus fascibus crassis pellium castorearum. Minimê autem doleo, nam nova cutis multo utilior est quam vetusta, praesertim aestate: tum enim depono eam, ne sudor mihi erumpat, hihihhi«.

Petasum pendit iuxta sclopetum et capiti capillamentum imposuit. Tum tunicam exuit et sellae superposuit. Quae tunica erat cento iterum iterumque resartus reparatusque, semper lacinia corii una insuta erat alteri. Hôc modo vestimentum rigidius crassiusque factum est, quam ut percuteretur sagittâ Indianâ.





**ECCE RALF WOLTER HISTRIO  
PERSONAM GERENS  
SAMUELIS FALCONINI**

Nunc vidimus tota eius gracilia crura incurva. Corpus superius infixum erat coriaceo colobio venatorio. In cingulo eius fuerunt culter et duo pistolia. Cum sellam ad mensam iterum attigisset, primum me, deinde matremfamilias callidê intuitus interrogavit:

»Potestne fieri, ut Domina ante cenam huic neoceroti dicat, de quâ re agatur, ni fallor?«

Verba, quae sunt »ni fallor«, huic homini evaserant locutio perpetua. Domina ad me versa digito annuit convivam iuniorem monstrans:

»Fortasse« inquit, »nondum scis, Domine, Dominum Melaenum fore successorem tuum«.

»Meumne - - suc-ces-so-rem?« edidi animo prorsus commoto.

»Ita est. Tibi valedicturi coacti eramus novum magistrum quaerere«.

»Mihi - - valedicturi - - - ?«

Hodie fortunam praedico, quod illo momento temporis non photographatus sum, nam certo scio vultum meum tum fuisse prorsus stupidum.

»Ita, tibi valedicturi sumus« dixit benevolê subridens, quod mihi visum est non convenire, nam mihi minimê libuit subridere.

Illa subiunxit: »Tibi quidem fuerat maturê renuntiandum, sed nolimus impedire, ne fortunam secundam quaereres quam maturrimê. Sincerê dolemus nos a te relictum iri, sed optimis omnibus te prosequimur. Pro Dei fidem cras proficiscere!«

»Mene proficisci? Cras? Quonam?« aegrê prolocutus sum.

Tum Samuel Falconinus mihi astans manum umero impellens respondit risu sublato:

»Quonam? Mecum in Fera Occidentalia! Examen enim tuum perbene superasti, hihihhi! Ceteri gromatici cras abequitaturi te non possunt exspectare; necesse est eos comitari. Mihi et Richardo Stoneo et Villelmo Parco mandato est, ut gromaticos duceremus adverso flumine Canadiano, in Novum Mexicum. Vide, ne hîc remaneas neoceros!«



Tum *confestim ceciderunt ab oculis meis tamquam squamæ*<sup>1</sup>. Haec omnia clam composita erant! Futurus eram gromaticus, fortasse destinatus ad unam e magnis ferriviis, quas construere propositum erat. Eu, quam laetum consilium! Non erat mihi interrogandum: responsum acceperam ultro datum, nam vetus Henricus meus ad me accessit, dextrâ mihi porrectâ:

»Iam« inquit, »tibi dixi, quare te diligerem. Hîc es apud bonos homines, sed munus magistri domestici te non decet, minimê. Petenda tibi sunt Occidentalia. Itaque adii Societatem Maris Atlantici et

<sup>1</sup> orig. *Da fiel es mir wie Schuppen von den Augen*. cfr Acta Apostolorum 9,18 Et confestim ceciderunt ab oculis ejus, tamquam squamæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est.

Pacifici, ut inopinans examinereris. Bene superasti. Hîc est diploma muneris mandati«.



Henricus mihi dedit documentum. In eo cum legissem, quantum salarium mihi datum iri verisimile esset, umectavere oculi mei. Ille autem loqui perrexit:

»Equitabitur. Ergo opus est bono equo. Ëmi equum illum scutulatum, quem ipse domueras: accipies. Etiam armis opus est: dabo tibi bombardam ursicidalem, vetus sclopetum ponderosum mihi inutile, quo tu omni ictu nigredinem scopi percutis. Heus Domine, placetne?«

Primum nihil dixi: tum, linguae usu recuperato dona volui recusare, quod mihi non successit. Illi boni homines, cum constituissent, ut me facerent fortunatum, aegerrimê tulissent, si recusare perrexissem. Ut, saltim ad tempus, impediret omnes recusationes, Domina ad mensam consedit; ita coacti eramus eius exemplum sequi; comedebatur; non licuit propositum iterum tractare.

Demum post cenam accepi ea, quae mihi erant cognoscenda. Captum erat consilium construere ferriviam, quae pertineret ab urbe Ludovicopoli per territorium Indianorum. Novum Mexicum, Arizonam, Californiam usque ad lîtus Maris Pacifici. Hoc spatium ingens per singulas partes esse perquirendum atque dimetiendum. Eam partem, quae ducente ingeniaro quodam superiore mihi et tribus

aliis esset tractanda, sitam esse inter fontes fluminis Peconis et meridiani fluminis Canadiani.

Tribus ducibus probatis, Samueli Falconino, Richardo Stoneo, Vilelmo Parco, mandatum esse, ut eo me ducerent, ubi inventuri essemus compluries occidentarios, qui nos tutarentur. Procul dubio nos etiam defensum iri a militibus omnium castellorum. Ut laetitiam obicerent mihi necopinanti, nunc demum haec omnia mihi dixerunt, sat sêro quidem. Sed animum meum tranquillum reddiderunt dicentes armamentis meis ad amussim provisum esse. Restitit, ut me introducerem apud collegas me in habitatione ingeniarii superioris exspectantes. Cum advenissem, quam comissimê salutatus sum. Quia sciverunt laetitiam mihi obiectam esse necopinanti non aegrê tulerunt me esse retardatum.

Postridie cum familiae Germanicae valedixissem, accessi ad Henricum. Qui manibus medullitus mecum iunctis gratulationes meas, quâ erat morum asperitate, abruptit his verbis:

»Opprime ôs, Domine! Te emisi eo tantum consilio, ut meum vetus sclopetum denuo in usum veniret. Cum redieris, visita me et narra, quae vîderis et expertus sis. Tum emanabit, num adhuc sis talis, qualis hodie es, quamvis non credas, neoceros enim verus et genuinus«.

His dictis me per ianuam promovit, sed antequam clausit, vidi ei obortas esse lacrimas.

## **FABULAM**

**C.T. »VINNETUUS (*Winnetou*)«**

**A CAROLO MAY**

**CONFICTAM**

**IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM TRICESIMAM QUINTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Dominico, 11. m.lun., a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**